DIDASCALIA III.

In inimicos gratia, iniuriæ nobiliſsima vindicta.

Merita in ſpeculo cordis labant, dum iniuriæ, eſto fictæ perſeverant

1 SIngulare ex varietate pectoris ſpeculum, quo ſpecies objicitur iniuriarum ac beneficiorum. Hæc brevi in tempore è memoria evaneſcit, illa perſiſtit. Altius iniuriæ deſcendunt, quàm merita: quieſceretque animus placidè, ſi permutarent officia: equidem ſummæ cunctis momentum utilitatis in tractu vitæ rationalis & civilis; modò merita manerent, iniuriæ è memoria caderent. Verùm numquàm vel dignati ſedebit animus, ſi faſtidium etiam leve ſcribit in marmore læſus: maximè ſi phantaſiæ, aut proprij amoris iudicium tamquàm opprobrium notetur, quin habeat unde lædatur; & ſignentur propudioſa meditatæ iniuriæ vulnera, quæ facta à propria phantaſia. Læditur ſed delicatulè cor, mens ut cuique ſua eſt. Præſens pharmacum in huiuſmodi morbum (quippe non ſat hellegorum) unguem murium. Hoc vitium ſolet eſſe potentiũm: quibus, *Contentionem deponere, difficile eſt*: inquit Pindarus in *Olymp.* Od. 10. v.47. Non habent odia regreſſum, quoniam habent cerebrum furore percuſſum: & frequenter potenciâ tumidi ulciſcuntur, quas iniurias vecordiâ perciti faciunt: vindictâ pulchrè colorata ſpecie, ut fatuis adulatoribus conſtet colore iurè feciſſe; nec iniuriam dici poſſe, quæ facta ex iure. O præclariſsima capita! *Iniuriarum latiſsimè patet materia* (ait Senec. de *Conſtant. Sapient.* cap. 9.) *per quæ periculum nobis quæſitum eſt; ut accuſatore ſubmiſſo, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæque alia inter togatos latrocinia ſunt.* Lætantur in gladijs, cùm malefaciunt gaudentes. Haud ſanguine manſueſcunt facies.

Nonnulli à propria cogitatione ſauciantur.

Pindar.

Senec.

Et potentes, quas faciunt, ulciſcuntur.

——*Matura pericula ſurgunt*
Undiq; & impoſiti radiant cervicibus enſes.

Claud. 2 Ruffin. v.15.

Videſis argumentum ex profeſſo *Didaſc.* 5. & embolia, ne appareat iniuria, *Tautolog.* 9. *Didaſcal.* 6.

Quantus amor patris!

2 Siccine iniuria ficta, quæ quidem remittenda pro bono pacis, quamvis eſſet vera; ne regnaret ex Errinne diſcordia. Romæ viſum noviliſsimum facinus, & quò vel offenſus pectus deducit amor paternus. *Cùm à filio necti ſibi inſidias comperiſſet* (refert Valer. Maxim. *lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 4.) *nec inducere in animum poſſet, ut verum ſanguinem ad hoc ſceleris progreſſum crederet; in locum deſertum filio perducto, gladium, quem ſecum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit: nec veneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus eſſe; affirmans. Quo facto, non paulatim, ſed magno impetu recta cogitatio pectus iuvenis occupavit, continuòque abiecto gladio: Tu verò* (inquit) *pater vive: & ſi tam obſequens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera: ſed tantùm quæſo, ne meus erga te amor eò ſit vilior, quòd à pœnitentia oritur. O mortis oblatæ, quàm datæ vitæ felicius beneficium!* Sanè feliciter cogitatio patris, in protervi converſionem cordis: igitur perfidus filius illi non parceret; ni iniuriam antevertens, pepercíſſet. Modò vindicaſſet iniuriam compertam, non obtineret vindictam; imò exacerbaret timentis amarulentum animum; ut præveniret, etiam contra patrem ictum: equidem dum filio iniuriam indulſit, fecit induſtriè, ne faceret. Pater excanduit meditatâ filij iniuriâ: filius, quippe à patre cognita. Uterque liberari cupiebat à cordolio, quod quidem perfectè factum amoris ingenio: etenim filius iniuriam nequaquàm intulit; quippequàm pater corde conceptam pepercit. Expoſuit animum amor, quod gladio debebat dolor: maluitque ab iniuria opprimi, quàm illam ulciſci; ut filius hoſtis rubore ſuffunderetur: quandoquidem inſenſus in offenſo experiebatur, haberi amore uti filium; dum ille in patrem diſpoſuerat gladium. Patrem uti hoſtem habebat: averſum cogitabat; quod frequenter accidit in iniurijs, ex phantaſtica mole cogitationis. Uterque convenit, & cogitatio exhibitione charitatis evanuit: equidem offenſor in patre cogitans habere hoſtem; vel offenſum cognovit habere patrem: cuius indulgentia averſi mutavit animum; dum hoſtem inſidiantem honoravit quaſi filium. Filius ſciebat, compertâ iniuriâ, quæ pœna ſequatur: cogitatque inferre, ne pateretur. Invenit ex indulgentia, gladium in patrem præparari ſine cauſa: proijcitque gladium, demittens pudore vultum; quippe planè confuſio, ſcelere meditato, videre in offenſo patre, poſſe vindicari, ſed nolle: non ſolùm oblíviſci, ſed favere, hoſtem amicum recipere, filium perduellem uti filium cognoſcere: ita demonſtrans ex iniurijs obſequium, ut in corde nec remaneret veſtigium.

Valer. Maxim.

In iniurijs operetur amor, quod debet dolor

Intercipitur offenſa modò indulg.

Charitatis, & gratiæ ſingulares demonſtrationes erga inimicos.

3 Non aliter ſeſe genere debet animus, ubi iniurijs etiam regeſtis, vel à dignatis, cognoſcitur læſus: equidem ſi inimicus

offenſam præparat, quippe hoſtem cogitat; mutabit ſanè intentionem, quum quem cogitat hoſtem, invenit patrem. Gladium proijciet, etſi in manu habuerit: igitur vel in procace excitat verecundiam; pro iniuria invenire gratiam, & honorari uti filius, cognitus hoſtis inſenſus: elegiſſe potiùs cedere, quàm percutere: perire, quàm vulnerare; quippe magis glorioſum iniuriam ignoſcere, quàm inferre: maximè cum offenſus in ultionem valet, & mitis ultionem præterit. Sæpe iniuria cognoſcitur, maiorque fieret, ſi modò vindicaretur. Ultio omittitur, quæ conſtruit indulgenti ampliorem auctoritatem: tùm quia impedit maius crimen; tùm quia per conceſſam gràtiam, agreſſorem vocat in iniuriæ pœnitentiam: igitur vulnus inimici pectori, odio reſpondere amore. Magnum in præfato patre, arma in manus filij deponere, magnum in iudicium vocare: cogitationis & cauſæ facere iudicem, ſe oſtendere etiam irato innocentem. Ius erat offenſorem, patrem quærere, ut eius rediret gratiæ; ſed virtus ſuperavit patris, in tanti articulo amoris, reconciliatione facta: igitur virtus eximia, cedere maieſtate; in reconciliationem inimici. Pater conditione ſuperior, quin revocaret dolor, in certamine erat. Filius ſubditus pertinax in propoſito ſtabat. Patrem ſubditus vidit, & expavit, ſimulque à prava intentione reſipuit, ductus erroris pœnitentiâ, ac perfractâ inimicitiâ: equidem pungit pectus, rubet vultus, ex ſingulari condonatione iniuriæ; quòd Superior ſubditum inimicum quærat in amiſſæ reconciliationem gratiæ,

Qui offendit, ex favore pudet.

Vulnus inimici pectori, odio reſpondere amore.

Magna virtus, quærere offenſum in reconciliationẽ inferiorẽ inimicum.

Et declinatæ munus amicitiæ.

Ravis. Text.

4 Themiſtocli Athenis principanti, obtulit Simonides artem memoriæ: ait idem, 6. *Officin.* cap. 6. cui prudenter reſpondit: *Se malle artem oblivionis, eò quòd etiam meminiſſet, quæ nollet; & obliviſci non poſſe, quæ vellet.* Sumpſit ex Cicer. lib. 2. de *Finib.* Ars oblivionis omninò neceſſaria, ut ſepeliatur iniuria: quandoquidem inſtat ultio, ſi vulneris recordatio. Ingenioſè Ovven. 8. *Epigram.* 67.

Idem.

Oblivio neceſſaria, ut evaneſcat vindicta

Ira cadat cum Sole, at non cum Sole reſurgat:
Semper cum Phœbo currat ad antipodas.

Ovven.

In hoc, opus oblivionis arte, ne ſpecies ſepultæ appareat iniuriæ: equidem ſi mentem ſaltem in ſpecie tangit, bile commotâ ultionis memoria ſurgit. Ægrè eximitur, quod ſemel doluit: & ita iniuria pungit; ut vel memoria excandeſcat ſpecie, ſi quæ factæ, vel non factæ. At quid prodeſt? Inſtruitur in nocumentum, & eius quæſtus cordolium: quandoquidem qui vindicat, quid ſperat? *Qui contumeliam dicit, audiet*: ait Plaut. in *Pſeudol.* Act. 4. ſcen. 7. v. 77. Qui dicit quæ vult, audit quæ non vult. Qui facit, recipit: & qui operatur quod placet; ſuſtinet, etſi rumpatur, quod diſplicet. Si iniurium fit, ſepeliat ſub alto pectore os. *Pudere, quàm pigere præſtat*: accinit idem in *Trinum.* Act. 2. ſcen. 2. v. 64. Pudere, eſt verecundiæ: pigere, pœnitentiæ. Pudere, de dedecore: pigere, de dolore. Agemus ex profeſſo *Tautolog.* 5. *à n.* 15. Hoc diſcrimen inter iniuriam illatam & inferendam: quo in articulò ſatius pudere, quàm pigere, potiente dedecus fronte: igitur ſi ulciſci cupiat, ſanè habebit de quo denuò erubeſcat & doleat.

In commoda iniuriæ & vindictæ.

Plaut.

Idem.

Qui dolens iniuriam vindicat, ſollicitat de quo doleat.

5 Inter Maſsilienſes, infit præfatus Valerius, *lib.* 2. cap. 6. à num. 7. *Intrare oppidum eorum nulli cum telo licet: præſtòque eſt, qui id cuſtodiæ gratiâ acceptum, exituro reddat; ut hoſpitia ſua quemadmodum advenientibus humana ſunt, ita ipſis quoque tuta ſint::: A condita urbe gladius eſt ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index.* Inſignis profectò providentia, removere iniuriarum occaſionem; ne qui adveniunt, indigenarum perturbent ſociorum pacem: imò ſi ingredientes à civium quoquam immeritò contumeliam acceperint; non habeant quo irati vindicent: igitur cùm ex promptu frons rubeat, ac ex frontis pudore bilis ſucceenſeat; facile inſania audacis deſpicitur, temeritas indulgetur, & iniuriarum introducitur oblivio; modò ad manum in ultionem non ſit occaſio. Quamvis immodeſtè, periniquè, iniurioſèque agatur; vindicta à pectore removetur. Dehoneſtatem ingreſſus in urbem vindicaret, pœnas qui procax lueret; ſi offenſus ad manum gladium, aut telum haberet. Egreditur, contumeliæ atque vexationis reminiſcitur; ſed iniurioſum non novit, vel egredientem è civitate fugit: manetque impunitum totum conceptum ab ira cordolium; quia ulciſci nequit, dum poteſt ſumere ferrum. Habeat quidem, ſed extra civitatem, in civium quietem; quamvis in focum commotæ & meritò bilis, occurrant contumeliæ, vexationes, dehoneſtates, turpitudines: equidem tota civium ex iurgijs obvijs diſcordia, pendet omninò ab iniuriarum vindicta.

Valer. Maxim.

Ut iniuriæ ſit oblivio, ultioni removenda occaſio.

6 Hoc intuitu *ibi gladius, quo noxij iugulantur, rubigine exeſus*, miniſterio non aptus, ſed in indicem, ut cives conſervent pacem. Quo ergo fine coram ingredienti-

bus apponitur; ſi uti rubigine exeſus, nequaquam officijs utitur? Audaciam compeſcit, atque timorem incutit. Docet ingredientes regimen civitatis, quomodò ſeſe gerant in tolerandis iniurijs pro bono pacis: etenim ſi accipiuntur, magnanimitatis elucet virtus; habere in ultionem gladium, ſed quòd gladius ſit ſuſpenſus. Eſt rubigine exeſus ſine miniſterio ad iniuriarum ultionem; qua de cauſa ex tempore gladius contraxit rubiginem: verùm in indicem oculis obijcitur, ut iniuria arceatur, & illata nobiliter toleretur: quippequàm nobilitas animi, gladium habere in ultionem, ſed ad ultionem non uti: poſſe ulciſci, verùm nolle: cum gladio iurè iraſci, ſed ictum gladij ſuſpendere: eligentis potius dedecoris pudorem, quàm ex vindicta doloris acerbitatem: etenim quamvis habeatur gladius; *potuit tranſgredi, ſed non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit*. Iccircò iurè laudatur, quia invenitur, qui non facilè invenitur. *Probatus* difficillimis profectò, dum gladio parcit, inimicum habens etiam ſub ictu. Denique de effectu gladij dubitat ratio. Si rubiginoſus, ad miniſterium ineptus, in arcu ſuſpenditur; quo pacto noxius eius acie iugulatur? Quia ſuſpenditur. Infertur iniuria: reſpondet offenſi irregularis clementia. Haud educitur gladius, eſtò honoris læſi vellicet vulnus: iniurioſuſque ſummo cruciamine iugulatur, vel dum probrum indulgetur, vel dum deſpicitur: ſiquidem deſpectus dehoneſtatis, culmen extruxit honoris. Appoſuit antidotum, priuſquàm ingrederetur venenum: obtentaque in immortalitatem ſalus, unde ab iracundo cæcè contractus morbus. Luculenter, 3. *Apolog. in Ruffin.* Hieronymus. *Non enim conſidero* (inquit) *quid tu merearis; ſed quid me deceat*. Minuit ultio maieſtatis auctoramen: etſi offenſor mereatur, oportet omittere ultionem. Non enim congruit, quamvis hebetetur gladius, contrahere dedecus: maximè dum pungens, indulgentià accerrimè pungitur, nec an pectus parcat, vel iniuriam ulciſcatur. Sat enim pœnas luit, quia ſemper tremit. *Vindicaverunt vindictam*: dicitur de Machabæis; ut vidimus in *Litter. expoſit.* n. 17. Vindicat vel factam vel iniuriam apprehenſam facilis ultor: inde manat & perpetim ultori dolor: etenim cum ſine iniuriam vindicari non poſsit; vindictam utique timet. Pigere, quàm pudere in cordolium elegit: & anxiatur perpetim in cogitatione vindictæ conſcia; quia neſcit, quando & quomodò vindicanda vindicta Neſcit.

Magnanimitas, in hoſtem habere gladium & ſuſpendere illū.

Eccl 31 10.

Indulgentia offenſionis in vulnus pectoris.

Hieron.

1. Mach 9. 42. *Vindictà minuitur dum honoris ſolicitatur ſplendor, & tremit ultor.*

Sanguinolenta gravem an ſaturaverit iram Ultio.

Má'uaû

Exiguo vel nullo vulnere ſibi ſemel placuit, & ſemper pavor affligit; quia vel præcaturus veniam, vel etiam vivens tremens amiſſurus vitam. Quænam ultio gravior, dum ex vulnere illato ſine vulnere intenſus infertur dolor? Dicit Claudian. de *Bell. Getic.* à v. 90.

Hoc quoque quod veniā lethi valuere mereri
Si poſitis pendas odijs. Ignoſcere pulchrum
Iam miſero, pœnæq̃ genus vidiſſe precantem.
Quæ vindicta prior, quam cum formido ſuperbos
Flectit?

Claud.

7 *Audiſtis* (dixit aſſeclis Aſſertor N.) *quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*. Cur in huiuſmodi conſilio, imò præcepto, medianter Salvator promit, *Ego dico*? Ille eſt ratio Patris, & habere inimicos odio, non eſt ratio. Ratio contraria dicit, ut valeat rationis ius, adverſus quod *dictum eſt*. At quid dictum? Audi ſtultiſsimos ſapientes, ineptiarum fontes, ſeipſos ſine dilectione amantes. Apud Stobæum, ſerm. de *Prudentia*, Democritus inquit: *Prudentis eſſe iniuriam præcavere, ſed inſenſatæ indolentiæ, ſi facta fuit, non ulciſci*. Apud Eraſmum, *Apophtheg.* lib. 2. refertur: *Civem Scirapboram multarum Ephori, quòd à multis iniuria affectus eſſet. Interpretabantur enim illius ignaviam eſſe in cauſa, quòd plures auderent, eundem lædere: nam qui veterem impunè fert iniuriam, invitat novam. Si qui primus læſerat, delatus dediſſet pœnas legibus; cæteri temperaſſent ab iniuria*. Unde Theognidis ſententia, n. 107.

Matth. 5. à 45.

Democr. *Quę cauſæ deaurantur à ſæculo, ut ambiant ultio?* Eraſm.

Exhaurit vires patientia longa malorum:
Vindicta at plenè pectora læta facit.

Theognis.

Symbolum amoris amico reſpondentis, & odij in averſionem hoſtis; ideo poſitum in roſa; ut præut opus homo uteretur vindicta. Ovven, *lib. 12. Epigram. 5.*

Roſa cur conferantur?

Quo nares perfundat habet roſa ſuavis odorem:
Quo contrectantes pungat acumen habet.

Ovven.

Dedecus (dicunt) numquàm debet admitti, quin ingreſſum, deleatur ſanguine: inimici enim dolor eſt cordis dolentis decor, honor honoris, & fulgor auctoritatis. *Ara Ultioni* dicata, ut arceretur iniuria. Placet modum armorrm ſervare, quæ non ſervat modum in cauſis, quas diſcutit enſis. Delectat cruor: aliter inter homines fugit hominis ſplendor. Nec ceſsiſſe iuvat, quippe vindicta vellicat. Quæratur belli exitus, haud excutiatur cauſa. Præclarius.

Tacit. 3 *Annal.* cap. 18.

Ara Ultioni.

——*Pereat omnis memoria.*
Cùm victor arma poſuit, & victum decet
Deponere odia.

Senec. *in Furēt.* à v. 407

Nartatur fabula ſurdo, ut contigit Arunti exclamanti, apud Virgil. 11. *Æneid.* à v. 789. Ni

Virgil.

Hæc dira meo dum vulnere peſtis
Pulſa cadat, remeabo inglorius urbem.
Da Pater hoc noſtris aboleri dedecus armis.

Ira quæ tegitur, nocet.
Magna non latitant mala:
Profeſſa produnt odia.
Levis eſt dolor, qui capere conſiliū poteſt:
Libet ire contrà.

Senec. *Med.* à v. 153.

8 Hæc ne vindictę cauſa? Voca deliria: etenim non rationis conſilium, ſed furentium; in ſe convertere gladium: oſtendereque animum proiectè ſervilem ac vilem, etiam incommodo dum ſolicitat ultionem. Si apud Ethnicos prævalet rationis abuſus, iræ conſilium ratione compeſcit Ethnicus.

Vindicta bonum vità iucundiùs ipſa?
Nempè hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdū, aut levibus videas flagrātia cauſis.
Prima docet rectū ſapientia: quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
Ultio. Continuò ſic collige: plurima felix
Paulatim vitia atque errores exuit omneis.

Juvenal. *Satyrà* 13 à v. 180.

Planè vitia & errores, ex perturbatione mentis. Quia iniuria cogitatur, probrum ulciſcitur, excandet cor: dementia eſt: ultam in ſe convertit cauſam; igitur nequit iniuriam vindicare citra iniuriam. Percellitur pectus, dum læſus audit quod diſplicet, & quia diſplicet dolet. Qui in te periniquè loquitur, peius audiet.

Cauſæ ultionem color inter, deliria & iræ furores.

Minuet vindicta dolorem?

Ovid. 1. *Amor.* 7. v.

Evomuit hoſtis proſcindens honorem, quicquid ſuggeſsit ira: ille rebibit probra, indicans per venena, habere putrida virulenta vicera. Contumeliòsè deſpexit? Ovven. *lib.* 8. *Epigram.* 91. facilè remedium adhibuit:

Ovven.

Me flocci facis, atque pili, nauci atq̃ terunci:
Quanti te faciam, ſcire cupis? Nihili.

Adi Petrarcham de *Remedijs utriuſque fortun.* 1. p. *Dialog.* 101. & 2. p. *Dialog.* 33. Deturpavit uſque in nauſeam calcato honore & auctoritate? Niteris dumtaxàt futili cogitatione: haud eſſe excellentior, ni ab inimico proteretur honor. Unde vindicta non eſt honoris ſpecies; ſed ex pectoris æſtu falſi velamen honoris. Qui factus eſt inimicus; iniurius, iniquus eſt & ingratus? *Improbus beneficium reddere neſcit*. Non ulciſcendum, ſed miſerandum. *Benè ſi feceris, ne pigeat feciſſe: potius pudeat, ſi non feceris*. Non ſit vel in hoſtem gratiæ dolor. Sic elucet cordis candor. Quod ratio dicit exequi debet. Diligendus eſt inimicus, fovendus ingratus.

Plaut. *Perſ.* 5. v. 10. *Trinum* 2. 2. 66.

Optima vindictæ ratio, ſi lædere poſſis;
Ignoſcas.
Imò diligas, imò faveas.

Petrarch. d.

9 Ut excitet Chriſtus in ultionem pervicaciter tenaces, in nobiliſsimam vindictam amoris (averſis dicit: *Benefacite his qui oderunt vos; ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*. Solem *ſuum* ſignat, qui illi ſoli ſervire parat; ut conſtet quantus amor Patris cœleſtis: igitur quem conſtituit, & illi ſervit; iubet, etiam ſervire inimicis. In cœlo ideo collocatur, ut præmium huiuſmodi gratiæ ſingularis notetur; & in hoſtes faciat & perficiat ſic, qui in cœlo intendit fulgere ut Sol. Nova occurrit fax auctoritati Eccleſiaſtici, quàm aliquoties expoſui: *Homo ſanctus* (ait) *in ſapientia manet ſicut Sol: nam ſtultus* (Ianſen. *ingratus*) *ſicut Luna mutatur*. Pende cauſalem in apodoſi, aut contrapoſitione Solis & Lunæ. Qui ingratus mutatur ſicut Luna, ſenſatus ut Sol permanet in gratia: igitur gratiæ ſplendor in continuatione additur, etſi ingratus tamquàm ingratus mutetur. Ut prodeat in lucem Siracidis ſententia, ſcrutandus eſt ordo, quem habent in cœlo iſthæc Luminaria magna. De Luna inquit Plinius *lib.* 2. *cap.* 14. (alia dicam, *Tautolog.* 5. *D.* 2. *n.* 4.) ſemper eſſe averſis cornibus à Sole, etſi ab illo accepta luce. *Ne id quidem uno modo, ſed alias admota cœlo, alias contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros deiecta; ut ſcelera hominum noſcantur*: præmittit, *cap.* 9. Elucet in Luna ingrati conditio; & in Sole gratiæ per tempora conſervatio, quin ſuſpendatur, quamvis illa mutetur: equidem quamvis continuò ſplendore dignata, ſemper adverſa & averſa. Ut poſsit lucere, quæ vacua luce, curſum dirigit blandimine accedens Soli. Cognoſcitur acceſſus ex dependentia: nec abnuitur ſiccine accedenti gratia; etſi citò receſſura: equidem expectat repleri, ut benefactori à longè poſsit opponi. Patet carere meritorum radijs, dum ampliorem ad ſplendorem currit oppoſitione ſplendoris, oſtentando quàm in curſibus elata, quippequàm videtur lùcida; cuius eclipticam eiſdem motibus ingratum ſequitur pectus: equidem cum non ambiatur munifici auctoritas, ſed propria in di-

Matth. 5. 45.

Deus docet inimicis favere.

Eccl. 27 12.

Plin.

Cur qui favet cōfertur Soli?

Et quare inimicus maximè perfidus, Lunæ?

Exercitia ambitionis.

dignitatem utilitas; haud quaquàm videtur turpe à magnanimo benefactore recedere: perſequi, ſi oportet dehoneſtare, ſi amplius commodum arridet: capiet enim oppoſitionem ex diametro, ſi extenſiorem ſplendorem conciliarit oppoſitio: equidem ſi modò congruat plenitudinem ambienti; in Solem eius repercutientur radij. Æquivocè Noſtrates: *Si conviene para ſus aumentos, contra el miſmo Sol arroja rayos.* Quo maior claritas,

Ovid. *Met.* 5. fab. 5.

Motas exaſperat iras.

10 Perſcrutemur. Ingratus ut Luna Soli appropiat, donec totum orbem impleat: dum implet opponitur, ſed ſtatim luce cadit. Ex oppoſitione deficit, & iterùm Soli appropinquat, ut denuò lucem exhauriat. Magnum in Sole quod ulteriùs ingratum recipiat; atque ſemel & iterùm communicet lucem; quem ex luce conceſſa nonnumquàm reperit hoſtem. Decus Solis eſt & viri ſenſati, ſic permanere in beneficiorum conceſsione: igitur gratiam generosè repetit; quantumvis accedentem ad gratiam hoſtem cognoverit: præterit ſimulationem, videns egentem: & mittit benevole radios, tametſi ingratitudine & receſſibus offenſus; ut indicet rationali, quomodò nobiliter ſeſe geret cum perfido hoſte: quandoquidem ad donorum elargitionem permanet, quaſi numquàm perfidia & receſſus ac oppoſitio accidiſſet. *Quid magnifici erat* (infit Stoicus, 1. *Benef.* cap. 1.) *multis prodeſſe, ſi nemo deciperet? Nunc eſt virtus, dare beneficia. Adeo adverſus experimenta pertinaces ſimus; ut bella victi, & naufragi maria repetamus.* Sed unde hinc virtus? Quia, ut ipſe *cap.* 10. ibid. ſubdit (noſque ex profeſſo, *Tautolog.* 4. *D.* 3. *n.* 15. iterabimus) *Beneficia conferenda etiam ſi de illis malè ſperatur: faciemus tribuemuſque non ſolùm ſi iudicavimus ingratos fore, ſed ſi ſciemus fuiſſe.* Habet ſimiles exitus & Lunæ & hoſtis comite ingratitudine curſus; ut Solis benefici reſplendeat virtus. Luna pro gratia luminis Soli acceſsit, accepta receſsit, tribuenti auctori ſe oppoſuit. Cùm non haberet ex ſe, poſt plenilunium elanguit: iterùm ad Solem pro ſplendore in orbita currit? Quid Sol faciet? Lumen profectò conferet, qua inſignita idem quod pridem fecerat, faciet. Senſatus & ſanctus ſic. Permanet erga hoſtes in beneficijs ut Sol: conferet & continuò immeritis gratiarum lucem; quamvis & præteritam & futuram cognoſcat oppoſitionem. Inimici, maximè ingrati, ſunt æmuli Lunæ, & ſcelera eorum eius noſcuntur imitatione. Abutuntur gratià: & tunc benefacientis cognoſcitur cum ſplendore excellentia; etenim illis conceditur munus gratiæ, cognoſcendo ingratos fuiſſe, & etiam ingratos fore. Inſidias Luna Soli obſequijs ſpecie diſponit, & voto ſtulti in pectore gaudet. Ne id quidem uno modo, ſed aliàs admota cœlo, aliàs ad Aquilonem elata, aliàs in Auſtros depreſſa, mutando ſitus, ut hoſtis & ingrati pervicaciæ pateat modus: igitur ſi recedit, ex adverſo efformat oppoſitionem: ſi accedit, ex coniunctione Solis molitur eclipſim.

Probus etſi inimicus ſallat gratiam minimè declinat.

Senec.

Idem.

Et ſemel & iterū, & continuè.

Inimico etſi conſtet perſidia, haud etrabenda gratia.

11 Denique. Inter Aſtronomos phraſis communis eſt, Solem radijs Lunam percutere; pro fulgore illuminare. Vividè prorsùm in effectum gratiarum reſpectu pectoris hoſtium, conſtructa nobiliſsima vindictà, haud ultione, ſed collata gratia: etenim ſi pudor eſt, dolet inimici cor; quoniam vulnus altum infigitur, dum hoſtis cognitus hoſtis, pro iniurijs gratijs fovetur. Vulnus ſanè cùm expectetur telum, invenire beneficium. Grave eſt Sole vulnus, ubi vel averſos etiam illuminat radius, & Lunam fulgore illuminat, licèt in oppoſitione inveniat: equidem in gratia permanet, recedenti favet, generoſèque communicat lumen, quamvis invenerit hoſtem. *Radij Solis lucida tela* dicuntur à Natali Comite, fab. 3. in 6. *Metam.* Ovidij. Favere inimicis, ſapientia cœleſtis eſt. Vir ſanctus in ſapientia manet & permanet uti Sol, gratijs ultus dum magis offenſus: igitur in corda inimicorum iaculatur ſagittas, ubi averſos ut convertat conficit gratias. Neſcit ſtultus quomodò ultio generoſa ſit. Ideo N. ait Aſſertor: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Quorsùm in ultionem tela, ſi ſat gratia? *Benefacite.* Perperàm odium rependitur odio, ac plectitur gladio, aut telo. Vulnus inimico infertur, ſi ſauciatur beneficio. Ita antigone apud Sophocl. v. 524.

Vulnus illi, dignari favore.

Natal. Comit.

Ubi ſup.

Sophocl.

Non odio mutuo proſequi, ſed redamare
ſolita ſum.

Sic fœmina, ultionis amica, in odioſum inviſum inimicum ſumpſit gladium, per gratias infeſtum non habens ut inimicum. Innuit noſtra Tautologia. *Vindicans vindicabit* iniuriam iniquè illatam. Intercedet num in inimicos ultio? Nullo modo. Vindicatur, qui parcit: potiùs qui offenſam gratijs rependit. Qui ita ſuſcipit iniuriam, habet vindictæ nobiliorem formam: equidem ubi ſine ultione ob amorem prætermittitur; ultione gratiarum uſque ad ſatietatem vindicatur. Quantumvis inimicus in hoſtilitate perſiſtat, qui pacificus ut Sol in beneficijs permaneat. In bonos & malos ſpargat lucem, oſtendens cordis candorem & quietem. Bonos foveat in Deo, illuminans per continum beneficium: malos verò propter Dominum, ſine ulla acceptatione perſonarum: etenim inimicos perſequi & amicos proſequi (quo vel rudes amorem aut averſionem intelligunt) Ethnici hoc faciunt.

Eccl. 5. 3.

Et ut animus faveri.

Ubi ſup v. 43. à

12 Pater cœleſtis *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Quidni dicit: *Lunam oriri facit ſuper bonos & malos*, maximè dum etiam oritur ſuper utroſque? Quia Lunæ mutatione aliquid diſtinguitur inter malos & bonos: quapropter ut vidimus ex Plin. *num.* 9. In Luna dum peragit curſum, noſcuntur ſcelera hominum. At unde cognitio? In Serm. *Baptiſt.* n. 3. deſignatur à Bernardo. *Luna ſplendet ſine fervore, modò plena, modò exigua modò nulla videtur: mutuatum ſiquidem lumen numquàm in eodem permanet ſtatu; ſed creſcit, deficit, extenuatur, anihilatur, & penitus non comparet.* Planè: modò maior, modò minor: modò obliqua & curvata, modò excelſa, modò deiecta, huc atque illuc vaga, mutatà luce: modò demum accedit, & modò recedit à Sole. Et in Luna hominum ſcelus objicitur; quoniam ſtultus ſicut Luna mutatur in amorem & odium, inter amicorum affectum, & inimicorum faſtidium, dum creſcit & decreſcit, dum odit & diligit. In amicos, uti Luna dum creſcit, ſemper maior: in inimicos, ſicut Luna decreſcens ſemper minor. In illos continuò favore plenus: in hos perpetim dono ac muneribus vacuus. Dilectis gratiarum ſplendore nonnumquàm floret: inimicis plenà luce ſemper deficit; diverſimodò in vitæ curſu per varios tractus reputans amicos & inimicos, quin unquàm inimicis benefaciat, nec gratiam conferat, cùm ſignum ſit ſuperioris nobiliſſimi animi, etiam averſis inimicis favere; nec ſtultè ut Luna inter amicos & inimicos mutari: Chriſtuſque dum amorem inimicorum commendat, Lunæ orientis ſpecimen iurè amandat, & Solis exponit ortus; quia ſemper naſcitur ſuper bonos & malos. Ut frugi convertatur malitia, in inſectatores virtutis extenditur huius gratia. Sed heu! Etiam hoc intuitu collata diſpergitur. Quid? Non pigeat: ſparge, etſi diſpergatur. Permanet tenax in propoſito peſsimus hoſtis, quantumvis onuſtus gratijs. Faveas adhuc: tunc non ſolùm gratia, ſed gratiæ ſplendor: etenim plus rutilans nitet cordis amantis munificà benevolentia, modò conferatur gratia, dum accipitur iniuria.

Bernard

Quare Lunæ cōfertur amor & odiū inter amicum & inimicū?

13 Gratiam à filio potente ſolicitat Mater-Virgo, ubi vinum in convivio ad quod cum illo vocata, deficiebat. Haud patitur, neceſsitatem videre, quin accurrat, & ſucurrat. *Vinum non habent.* Tunc Matri dixit Ieſus: *Nondùm venit hora mea.* Non venerat hora ad gratiam, & videbat in feſtivo gaudio deſponſorum & mœſtitiam & inopiam? Non venerat. Venerat hora ad imploratam gratiam; ſed non venerat ad gratiæ ſplendidam gloriam: illeque temporis gratiæ opportuni beneficus ambit; ut gratia optata cum ſplendore fieret. Ibi honotabaiur, plaudebatur à cunctis, ut mirabilis: & minimè nitor gratiæ, quum munificus honoratur, ſed ubi vel datis donis inhonoratus deſpicitur. Si tunc illis fieret gratia; egregiè de ſponſis merito, eſſet gratitudo prompta. Necdùm gratiæ, quam ſolicitat, hora in horologio dilectionis venerat: quandoquidem gratia ſplendet ſingulari nitore, quùm munerari apparent magis ingrati.

Virgo ſubvenit, ſi neceſsitatem aſpicit.

Ioann. 2. à 3.

Gratiæ nitor maior, dum beneficus deſpicitur.

Virtutis documenta dedit.

Accinit Sedulius, lib. 3. *Carm.* v. 2. Huc gratiarum cordis amantis ſcopus: igitur inſignis virtus, cumulare inimicis beneficia, ubi ab ipſis ingratè contorquentur dedecora. Hora necdum venit.

Sedul.

Iuvenc. 2. v. 17.

Feſtinas genitrix, fandum me talia cogit
Ad victus hominum tempus concedere dona.

Urges genitrix, feſtinas. Gratia, uti cupio, fiet, cum tempus venerit. Non eſt tempus, ſic concedere dona. Venit hora tua, ſed necdum venit in gratiarum ſummitatem hora mea. Quando ergo ventura? *Crucifixo Domino* (inquit Auguſtin. in *Ioann.* Tract. 119.) *hæc eſt illa hora, de qua Ieſus, aquam converſurus in vinum, dixerat Matri: Nondùm venit hora mea.* Hæc, dum patitur, & dira à dignitatis patitur; eſt hora Ieſu. Siccine & non aliter amoris vehementis lex. Ita fides læſæ charitatis ab inimicis. Venerat in nuptijs hora, ut conferretur gratia; ſed illo crucifixo in gloriam gratiæ ventura. Ibi erat tempus doloris acerbitatis, turpiſſimæ ingratitudinis, confectæ ab inimicorum odijs, quos innumeris ornaverat beneficijs. Hæc Ieſu, N. Servatoris philantropi ad gratias hora: equidem ſi ab illo illis ſemper gratia; ab illis crucifixo (dedecorato, ſummè afflicto & macerato) fulſit gratiæ pulchritudo, ac beneficentia decor. Nulla quidem excellentia erga inimicos & perſecutores maior; quàm erga illos abundare gratijs, cùm ab illis perfidis, ingratis, indignis ſaturatur iniurijs.

Auguſt.

Summi amoris conceſſa gratia, dum accipitur iniuria.

14 Hoc virtutis Ieſu illuſtre documentum ad gratiam, eius decoris demonſtrans homini ſemitam: à qua aberrantibus Iudæis, di-

Ioann. 8

dixit illis: *Quò ego vado, vos non poteſtis venire; ſed in peccato veſtro moriemini.* Ut intelligatur, *Quò*, ſciendum, dum vadit; ad metam ex itinere, *Quà*. Oppoſitum iter pravi elegerunt: ita quò Chriſtus vadit pervenire non poſſunt. Duri eſtis cervice & corde. *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Minimè pro me facietis, quod ego operor pro vobis. Ego vobis amanter confero gratias: vos pro gratijs eiaculatis ſagittas. Ego dona, vos ſanguinolenta tela. Ego iræ iaculis reſpondeo amoris delicijs; vos odio rependitis delicias extremi amoris. Ego intendo & enixim in favorem, quamvis ſitis

Verſ 28

inimici: vos perſequimini faventem, erga vos exhibita dilectione: & *quò ego vado, vos non poteſtis venire*; quoniam nullatenùs facietis pro ſummè amante, quod ego faciam & in cruce perficiam quo perſequente. Tunc cognoſcetis & *quia ego ſum*, & quid ſim, nitidà excellentia amoris, vel urgentibus in tædium doloribus diræ crucis: ſiquidem erga truculentos hoſtes magis munificus; dum ab illis ingratis magis offenſus. Haud facietis pro dilectis, quod ego operabor pro inimicis; ut ſplendeat amor, & gratiæ emineat erga inimicos ſplendor. Hæc celſitudo gratiæ. *Quò ego vado vos non poteſtis venire*: igitur ut vobis etiam conſtet (cùm ſitis inimici) quantum pondus charitatis; in cruce moriar & à vobis & pro vobis. Iter in cœlum hoc, *quò ego vadò*: congruit ſcire, *quà* itur: equidem ſi diligens inimicos collocatur in cœlo; qui odium rependit odio, ſine dubio morietur in peccato. Hoc iudicium ſanè fiet odijs odio reſpondente: quale ergo fiet & quantum, odio reſpondente amori? *In peccato veſtro moriemini.* Haud iracundi reſipiſcetis ab incœpto errore: præ cæcitate cordis, in odium quidem permanebitis amantis.

Unde eximia in hoſtes Chriſti dilectio, & gratiarum magnitudo?

—— Via ſola ſalutis
Affectus parcentis erit: miſeratio ſemper
Conditione caret.

Arator. 2. in *Acta*, à v. 379.

15 *In peccato veſtro moriemini.* Quorſùm Dominus in hoc articulo exponit quòd morituri in peccato & peccato ſuo? Ne morerentur, ſigna eius venturi in iudicium proferuntur. Ita hìc Maldonat. *n.* 45. & ex illo Alapid. Sit, verùm ut quid modò univerſale iudicium? Ut reconciliationis ſatagant inimicorum. Inter Lydos & Medos medium inimicitiarum haud erat ullum. *Signis collatis* (refert Herodot. *lib.* 1. n. 20.) *cùm æquo Marte certarent; ſtantè pugnà, contigit, ut repentè dies nox efficeretur. Ubi diem noctescere viderunt, à pugnando deſtiterunt: eòque propenſius ad pacem inter ſe conſtituendam, feſtinarunt.* Horror diei, qui non dies, quoniam tenebræ & non lux, impulit acriter inimicos decertantes, ut firma ſtabiliretur pax. Quis horribilior, quàm iudicij dies? Ad prognoſticum erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis. *Dies Domini, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis. Similis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit.* In Chriſtum invehebantur Iudæi, facti inimici, quamvis ab illo dignati: & in reconciliationem animorum dies obijcitur iudicij; quippequàm morietur in peccato, qui inimico non parcit, Dei cogitato iudicio. Æquum eſt ut ſit concordia, ubi pro pace immutatur natura. Ieſum inimici perſequebantur: & pro perſecutionis ſuſpenſione dies ater iudicij exponitur; ut fugerent tormentum, quod illis pravè conciliabat odium: igitur ſi in noctem dies convertitur, ei qui in amicitiam non amplectitur hoſtem; quid eis qui iniquè, gratis perſequebantur innocentem? Haccine memoria pravi in reſipiſcentiam excitantur, ſed illi ſtertunt, dum Chriſti effloret dilectio; ne morerentur in peccato ſuo. Hoc eſt diſcrimen inter odium perfectum, odiumque iniquum. Odium ſemper iniquum etiam in hoſtem, quid in amantem? Perfectum ſanè in Chriſto ex fervore charitatis: etiam cum vitijs diligebat hoſtes. Removetur vel ab offenſis vindicta, ubi timentur maiora. Sic toleranda mala, dum ultor ſe in utilitatem ſuſtinet; quippe ſi quærit, vindictæ (ut ait Senec. in *Hercul. furent.* v. 1186.)

Herod.

Ioel. 2. *In côcordiâ vertitur hominum odium cum Dei cogitatur iudicio.*

Diſcrimē inter odium iniquum & perfectum.

Sæpe vindicta obfuit.

Senec.

DIDASCALIA IV.

Tota felicitas hominis ex infauſtæ gloria Crucis.

1 PRofectò mirabile, ut unde tota generis calamitas, plena ſurgeret vera ac glorioſa felicitas: & qui ex ligno infelici victor inſolenter tumidèque gloriabatur; in ligno felice propudiosè vinceretur: fieretque ex vulnere ſanitas, & ſervitute libertas, ex amarore iucunditas, ex acerbitate ſuavitas, ex utilitate pretioſitas, ex diritate voluptas, ex odio amor, ex dedecore decor, ex deformitate pulchritudo, ex felle dulcedo, ex iniuria gratià, ex ignominia gloria, ex deiectione celſitas, ac ex proculcatione tàm maieſtas, quàm maieſtatis auctoritas; igitur ut clarerent ſpecioſa mi-

Mirabiles effectus ex ligno crucis.

rabilia in Dominica cruce; pretioſo ſanguine manavit vita de morte. Chriſtus, uti accinit Venant. Fortunat. *Hymn.* 3. *de Cruce.* v. 5.

——Ib mundum à clade redemit,
Atque ſuo clauſit funere mortis iter.

Venant.

O admirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria paſsionis! ait Leo Pap. *Serm.* 8. O excellentia crucifixi poteſtatis! Dæmonem enim à principatu expulit, mundum damnavit, & hominem à catenis utriuſque mirabiliter eripuit, & in antiquam, imò ampliorem felicitatem reddidit; ut (canit Mell. Souſa, de *Chriſt. paſsion.* à v. 717.)

LeoPap

Morte ſuà victor mortis decreverat olim;
Et crucis arbor erat divo ſatianda cruore,
Ut fructu fœcunda foret: quo flebile nobis
Arboris inviſæ fieret reparabile danum.

Ioann. Souſ.

2 Olim ſignabantur inter arbores, quæ felices & quæ infelices. Infelicem arborem Seneca vocat Crucem, lib. 3. de *Ira*, cap. 15. ut vidimus, *Tom.* 5. *T.* 3. *D.* 1. *à n.* 1. *Infelices exiſtimantur* (inquit Plin. 16. cap. 26.) *damnatæque religionis, quæ neque ſeruntur, neque fructum ferunt.* Hic Dalecamp. ex Catone, de *Re ruſtic.* infit: *Vocarunt & infelicem, ad quam capitis damnatus ſuſpendio necaretur. Unde dirunt carmen: Caput obnubito, & infelici arbori ſuſpendito.* Ita Cicer. pro C. *Rabirio*, Aul. Gell. 10. *cap.* 15. Muret. 8. *Variar.* cap. 9. & alij: quod quidem etiam ex ſacra pagina conſtat, 1. *Eſar.* 6. 11. & *Eſth.* 7. 8. Adi *Thautolog.* 8. *n.* 38. Fusè tractat Cœl. Rhodigin. 10. *cap.* 7. quò ex Priſco ſubdit: *Arbores, quæ inferum Deorum, avertentiumque in tutela ſunt, infelices nominant; ut quæ baccam nigram, nigroſque fructus ferunt.* Sanè in rem noſtram, ſed perſpicuiùs quaſi enthuſiaſmicè Plin. d. lib. 13. cap. 21. *Aſia fert* (inquit) *ſcorpionem, veprem ſine folijs, racemis rubentibus, ad medicinæ uſum: in Syria infelicia ligna appellamus.* Habemus intentum in Didaſcaliæ propoſitum, diaboli ſcorpionis dolum, infelix lignum, hominis lapſum, atque vulneris remedium. Unde Bernard. ſerm. 1. de S. *Andr.* n. 2. inquit: *Semper lignum crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, olium lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat, arbor fructifera, arbor ſalutifera, pretioſior cunctis, fructuoſior univerſis.* Quid mirùm! *Crux pellit omne crimen*, modulatur Prudent. in *Cathemer.* v. 870. & Alcimus Avit. lib. 1. *Geneſeos*, v. 165. loquens de Adamo dormiente, modulatur:

Plin.

Dalecamp.

Quæ & quare arbores felices & infelices?

Cœl. Rhodig

Plin.

Fructus crucis.

Bernard

Iſtius indicium ſomni, mors illa ſecuta eſt.
Spontè ſuà ſubit ſtipite quà corpore Chriſtus,
Qui cum paſſurus ligno ſublimis in alto
Penderet; nexuſque & culpas penderet orbis.

Alcim. Avit.

3 Qui in cœlo diſcolus & inquietus, apparuit in terra lividus: equidem fremuit, frenduit, tabuit, ut in tanta maieſtate è pulvere hominem erectum, vidit; & ad gratiæ & gloriæ ſplendidiſsimum ſolium, pro ſe infelici ac miſerrimo ſuffectum, & gaudentem ſingulari maieſtate; qua ipſe, ni tumidus, fauſtè valuiſſet potiri.

Hoc recolens, caſumque premens in corde recentem,
Plus doluit periiſſe ſibi, quòd poſſidet alter.
Me celſum virtus habuit, nunc ecce neglectus
Pallor, & Angelico limus ſuccedit honori.
Cœlum terra tenet, vili compage levatà
Regnat humus, nobiſque perit translata poteſtas.
Hæc mihi deiecto tantùm ſolatia reſtant,
Si nequeo clauſos iterum conſcendere cœlos,
His quoque claudentur. Levius cecidiſſe putandum eſt,
Si nova perdatur ſimili ſuſtantia caſu.
Sic ait, & gemitus vocem clauſere dolentis.

Id. d. lib. 2. à v. 88.

Inſtruitur aſtu ab illo calidiſsima decipula, & ut vir capi poſsit, capitur fœmina. Decidit in caſſes præda vafrè circunventione petita. Ad votum læva ſors in ſinum cecidit. Uterque corruit, ſed tranſgreſsionis pœnituit. Numen corripiens, præ dolore & pœnitudine abſolvit: vulnuſque impactum ſanare atque delere decrevit, ut homo contra Dei propoſitum non periret. Unde, uti ſuccinit præfatus Venãtius, *Hymn.* 2. v. 8.

Evanuit cruce propoſitum diaboli.

Ipſe lignum tunc notavit,
Damna ligni ut ſolveret;
E medelam ferret inde
Hoſtis unde læſerat,
Fraudæ factor condolens.

Venant.

4 Innuit noſtra Tautologia. *Deus enim vindicans vindicabit.* Deus? Quorsùm ergo fulmen geminatur ultionis? Fuit ſanè iniuria hominis & Numinis. Numinis, quomodò? Iniuria ex ſerpentis dolo minimè directa Deo. Vaniſsimum cogitamen. Neſcivit ſerpens, quantus amor Dei in hominem; quem vel lapſum nimis diligit: iniuriamque homini factam, Deus vindicans vindicabit; etenim Numinis amantis offenſio, quippequàm ex ſerpentis inſidijs offenſus homo. Facti doluit corditus, tactus Deus dolore cordis intrinſecùs, propter fractam hominis amicitiam, evaneſcente gratia; pœnituitque quòd hominem feciſſet in terra, quò tragulà invidi, veteratoris ſerpentis, guſtaret ex arupto virus pomi noxialis, naufrago in Adamo confoſſo lethali vulnere, toto humano infelici ex felicitate

Eccli. 5. 3.

Doluit amor Numinis de ruina hominis.

genere: quapropter neceſſariò ædificanda erat arca, ut ſalvaretur univerſum ſemen in ea: etenim illius amanti ſederat cordi, ſalvatio mirifica totius generis humani; ut quod ceciderat in Adamo primo, in Adamo erigeretur ſecundo (de quo *num.* 18.) reddita amiſsà in imagine pollutà ſimilitudine, arte artem ſerpentis fallente; ut qui portabant terreni imaginem hominis, portarent etiam tunc imaginem cœleſtis. Hoc opus, & etiam opificis labor, ut ſordidæ naturæ reſtitueretur decor, captivæ libertas, ſauciatæ ſanitas, mœrenti iucunditas, dehoneſtatæ maieſtas, & miſerandæ felicitas, inventioni amoris nova; quoquo deſignium ſtaret, quantumvis ſtaret vità: equidem ſuarum totum deliciarum theatrum, videbat ſtrophis ſerpentis, ac molimine deſtructum, & propter quem omnia facta, ſub cunctorum iacere oppreſſum miſerè ruina. Sic dilectionis facinus, & amoris pignus, cùm orbis aſpexerit vulnere vulneratum, ut vindicaret amicum (Ut fusè videbimus, *Tautolog.6. D.3.*

Chriſtus plenus dolorum, ut vindicaret amicum.

Iuv. Satyr. 10. v. 350.

Charior eſt illi homo, quàm ſibi.

5 Arbor extunc iam infelix, & ſterile prorsùm; quia nullum ferebat fructum: at ſi aliquomodò aliquem totum nigrum, calamitatis & miſeriæ plenum, ſub tutela dæmonis, dicatum idferis, in ſignum pravitatis, prævaricationis, ſpiculis contractæ infelicitatis. Ex illo ligno, quod fuerat arbor, ut arbor fieret quod lignum, pendebat totum generis remedium; quia ex illo crux efformanda, qua vitæ morte ſurgeret hominis vita. Videſis dicta, *Tom. 6. T. 1. n. 46.* Profectò, ſed occultum erat lignum, ex quo crux, in paradiſo: illoque ſic exiſtente, nihil virtutis agitur; quouſque lignum crucis ad opus inveniretur: inventa enim cruce, omnia bona affuerunt homini: etenim eius præſentià, expulſa ac remota ex malo mala.

Lignum ex arbore, & arbor ex ligno.

Venant. d. v. 5.

Quæque lupi fuerant, raptoris præda ferocis,
In cruce reſtituit.

Non ſolùm occulta erat, protrahens ſalutem, uſque ad eius inventionem; ſed etiam captiva, ſub Principum inferni, ac avertentium tutela: equidem præſagientes hominum ex illa eleutherium, nobiliſsimum ad vincula lytrum, & à captivitate redemptionem, ſalutiferæ crucis tenebant captivitatem. Ita miſer homo gemebat captivo ligno: equidem à tyrannis truculentis premebatur, quouſque lignum adorandum per illum exaltaretur. Factum eſt, revaluit infirmum cor. In ligno enim præſtantiora medicamina exponuntur: etenim cùm percuſsi aſpicerent, ſanabantur. In paradiſo erat, ſed Verbum caro factum, ad vitæ reſtitutionem necdùm lignum infelix tetigerat. Erat tunc ſine virtute, quam acceptura cruore. Unde *oportet exaltari*; quippe nihil in ſalutem hominis operabitur, niſi ad ſalutem hominis elevetur. Elevetur, exaltetur; ut cognoſcatur, ſi ex ligno ſterili & infelice ſit crux; quis pro Adamo in illa ſit, vivatque æternè, quippe poterit guſtare de ligno vitæ.

Exaltatio crucis ſimul & hominis.

Ioan. 12. 34.

Seneca in Hippol. v. 1143.

Clara videat ſidera mundi,
Nitidumque diem, morte relictà.

6 Ut ergo ſit triumphi vindicis hominis, clarum trophæum; oportet quod inveniatur & exaltetur in felicitatem infelix lignum, nigrum quod tulerat fructum, & ſimul notam infelicitatis; quoniam nonnumquàm deſtinatum in interitum hominis. Verùm quomodò poſſunt hæc fieri? Exponetur ex præfati Plinij in ſenſum altiorem, auctoritate. Scorpio vocatur infelix lignum. Sic in *Syria infelicia ligna. Aſia fert ſcorpionem, veprem ſine folijs, racemis rubentibus ad medicinæ uſum.* Infirmus & lethaliter erat homo: de infirmitate inſanabili exultabat ſcorpius, exultabat & draco, obvolutus infelici ligno, ex quo Adamus contraxit morbum, contabuitque cunctum genus humanum. Fert lignum infelix Aſia, perſpicuiùs viſum in Syria; ſed converſus in ſalutem & felicitatem, per Agni ſacri cruorem: equidem cùm coronatus vepribus Chriſtus figeretur ligno infelici, rubentibus membris effuſo copioſo ſanguine, facta medicina ex plaga; quippe exaltatum in medicaminis uſum, reſtitutà ex integro ſalute, profligatà infirmitate, & crucifixo victore: etenim in triumphi plauſum & indicem: ad ligni infelicis pedem, viderunt attritum, proſtratum ac gementem ſcorpionem.

Ubi ſup. num. 2.

Infelix lignum felici ſimul factum.

7 Huius victoriæ ſpeciem vidit Iſraël, dum oriens totus conſpiravit adverſus Gedeonem. Non ſecùs aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum eius; ſed carptus victoriæ flos, ſicut in die Madian. Sub tyrannide horum Principum pluribus annis detentus fuit Iſraël, ad cuius libertatem è cœlo electus fuit Gedeon; qui timuit, ſtò præſciret triumphum, ingredi in prælium: tuncque ei dixit Dominus: *Surge & deſcende in caſtra, quia tradidi eos in manu tua. Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.* Quorsùm ergo ſocietas huius pueri? In ſignum infallibile victoriæ; quippe ut triumphalis, puer

Iudic. 7. 10.

iſte

Iſte datus eſt nobis, & æquè ut victoria ſit, *ſicut in die Madian.* At quid in aſſertionem huius inclytæ victoriæ, ut ei ſimilis ad unguem victoria Chriſti? *Phara* puer vocatur, quo triumphus glorioſè aſſeritur. *Phara* (inquit ex Hieronym. & Septuagint. Leo Caſtro in *Iſai.* 10. & Serar. cit. loc. *Iudic.* quæſt. 22. à n. 8.) *interpretatur frugifer, ſcelerum, vitiorumque labefactator, ramificatus & exaltatus in ſummitate arboris.* Clarius hìc Alapid. *Ramificatus & exaltatus in arbore crucis*: victoriaque Chriſti, paventis conflictum (propter acervitatem dolorum, dum imminebat diriſsima crux) præditur ſicut in die Madian; quoniam liberatus eſt homo, crepuitque draco, ſpoliatus tyrannide; quamprimùm Chriſtus ramificatus apparuit & exaltatus in cruce. Ut ſubiugaret tyrannum, Gedeon habuit ſignum, puerum in arborem exaltatum. Fuit umbra victoriæ, quæ reportata de exactore dæmone: igitur Chriſtus elevatus à terra, ita ſceptrum exactoris ſuperavit, virgam humeri confregit; ut ad crucis ſtipitem figeret vafrum, tortuoſum ſerpentem, ſpiris qui traxerat hominem in captivitatem: qui quidem ſoſpes excuſsit diaboli iugum, & ſimul cum illo omne genus humanum. Utquid Gedeonis formido, cum Phara puero? Ei utique ceſſura laurea vel difficilis victoriæ, in ſignum habens imaginem crucifixi. Ita Chriſtus ex prima iniuria hominem vindicavit, & arborem ſterilem, infelicem, felicem, fœcundum reddidit, vitiorum propulſator, gratiæ aſſertor: igitur reconciliatione, ac libertate nactà, in eodem ligno quo conſtrinxerat culpa; vidit ſerpentem eiſdem vinculis captivum, queis mundum fecerat ſervum: patuitque non ſine ſanguine inventione ligni triumphus, per quod & diabolus victus, & mundus à ſervitute redemptus.

Iſai 9. 4.

Leo Caſtr.

Serar.

Alapid.

Exaltatio Chriſti in cruce, cum hominis libertate.

8 Luculenter N. Kempenſis. *Quid igitur times? In cruce ſalus* (inquit de *Imitat. Chriſt.* lib. 2. *cap.* 12.) *in cruce vita, in cruce protectio ab hoſtibus, in cruce infuſio ſupernæ ſuavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium ſpiritus, in cruce virtutis ſumma, in cruce perfectio ſanctitatis. Non eſt ſalus animæ, nec ſpes æternæ vitæ niſi in cruce.* Hæc bona aufugerunt tranſgreſsione in horto paradiſi; ſed cruce inventà, omnia bona venerunt pariter cum illa. Hæc eximius Numinis in auxilium hominiſque commodum excogitavit animus, ut annuncientur inter gentes adinventiones eius. Finxit Ethnica vetuſtas, apud Homer. 19. *Iliad.* à v. 126. Aten conditam a Iove ſpeciali gratià, venuſtate pulchritudinis, capillis nitentibus, ſtemmate ſpetioſitatis amplioris; cum perturbaret, commoveret, concitaret in ſeditionem cunctos Deos habitantes in cœli regia, correptam capillis detruſiſſe in Tartara.

Th. Kempenſ.

Quæ bona in Cruce?

Et iratus animo iuravit firmum iuramentũ;
Numquàm in Olympumq̃ & cœlum ſtellatũ
Redituram Aten. Mox pervenit ad opera
hominum.

Homer.

Ergo in terras pervenit, ſed mores priſcos nullo modo dedidicit: equidem per innatam ſed inolitam noxam, commovit terram & conturbavit eam. Accinit Alciat. *Emblem.* 130.

Quæ Dea Ate?

Æthereis poſtquàm deiecit ſedibus Aten.
Iupiter, heu, vexat quam mala noxa viros!
Evolat hæc pedibus celer & pernicibus alis,
Intactumque nihil caſibus eſſe ſinit.

Alciat.

Paſsi tyrannidem (cum iuge pondus acerbe tuliſſent homines) pro libertate in cœlum anxij miſerunt Litas & preces; quæ auditæ ſerò, ſed tandem auditæ; quia Iupiter filium ſuum Herculem miſit, ut Aten expelleret, ac labores exantlaret: promiſsà expulſione & hominum ſoſpitate;

Quando filium ſuum videret charum
Opus iniquum ſuſtinentem ſub laboribus.

Homer.

Subdit Homer. v. 132. Videſis Spondan. hìc, & Natal. Comit. 1. *Mytholog.* cap. 16. Quid tunc Iupiter? Audiatur ex Pauſania, *cap.* 291. *Memoriæ proditum* (inquit) *cum fulmine, de cœlo lignum decidiſſe: quod cum ære Polydorus exornaſſet, Liberum Cadmeum* (ideſt, libertatem euciiam) *appellaverit.* Clareſcit vera,

Pauſan.

Quæ ficta in miſeras deſcendit fabula gentes.

9 Aten, quæ Noxa mala, læſio, ac ſcelus dicitur, fuiſſe Phoſphorum, ſeu Luciferum, totius generis miſanthropum, cuius ruinam è cœlo expoſuerunt Sophi ſub involucro plicabili fabularum; diximus fusè, *Tom.* 4. *T.* 5. *à n.* 47. Factumque dæmonicum ſerpentem, aſſerit ex pluribus Cœl. Rhodigin. *lib.* 2. *cap.* 7. Hic pulcherrimus à Numine formatus in cœlis, uti ſignaculum ſimilitudinis; quò quidem à fide deſcivit, & ſocios, quorum Princeps, in rebellionem commovit, & nonnullos ad ſe traxit: cuius audacià ac effronte pervicaciter inſolentià ira divina commota miſit è cœlo præcipitem, videntibus ſocijs ſicut fulgor de cœlo cadentem? In terras deſcendit, ſed quibus non nocuit. In protoparentes correptus livore & furore irruit, circumvenit, ſeduxit.

Propert. 3. 5 v. 45

Ruina Luciferi

Ate priſca proles, quæ læſerit omnes
Mortales.

Nat. Comit. d.

Senſerunt virus, noxæ pondus dæmonis, facti ſerpentis; & ne diù tota natura in miſerijs ſubſiſteret, & perſiſteret calamitas, in cœlum miſerunt preces & Litas. Clamor auditus, ſed auxilij ac libertatis non erat tempus; quod perficiendum in noviſsimis temporibus, in quibus Deus charum filium ſuum ad ſalutem mundi, miſit in ſimilitudinem carnis peccati: ſalvis à ſerpente hominibus, cum illum videret, opus iniquum ſuſtinentem ſub laboribus. Vidit, doluit, tuncque & lignum & fulmen miſit; ut hominem liberaret, atque ſerpentem impoſtorem confunderet. Fulmen in dæmonem, lignum ad hominem; vel ſimul in ligno fulmen: etenim crucis ligno, ex quo hominis priſca libertatis claritas, Princeps mundi eiectus foràs, præcipitatus quaſi fulmine in barathrum; dum ex illo homo captus peperit triumphum. Sibi quiſque hominum de claritate congaudet.

Quare Crux & in quem, dicitur fulmen?

Prudent d.v.71.

Proferunt inſigne lignum
Quod draconem ſubdidit,
Fulmine tactus iacuit.

Picinel.

10 Vigilanter lemma appoſitum Cruci: *Et belli & tempore pacis* (Adi Picinell. 3. *Mund. Symbol.* n.65.) An utriuſque teſſera, quia ut idem ſuccinit 2. in *Symmach.* à v. 1521. ſigno Crucis Stiliconi conceſſa victoria?

Prudent

——— Et cruce fronti
Scriptà, cecinere tubæ: prima haſta draconis
Præcurrit, quæ Chriſti apicem ſublimior
effert.

Triũphus Crucis.

Bulenger. de *Prodigijs*, cap. 26. aſſerit, Helenam miſſam ad ligni crucis inquiſitionem, quia in pugna Conſtantinus vidit cataphractum equitem, qui crucis ſignum pro vexillo ferret, præeuntem in fronte exercitus. Inventa eſt, & quæ belli teſſera, pacis fuit.

Paulin.

Frontè ſignum Chriſtianis emicat,
Quo mors ſubacta corruit.

Modulatur Paulin. *Ad Cytherium*, à v. 149. Iuvatur pro pace, vel in periculo munitus cruce; peritque qui pertinax removetur à fide: quapropter ſuccinit:

Navarchus ipſe perditæ princeps ratis,
Pereuntibus primus fuit.

Idem.

Namque ante pelago quã periret naufragus,
Iam mente naufragaverat.

Eſt, & quomodò ſtatera Chriſti amoris?

Aptiùs Didaſcaliæ. Lignum crucis teſſera, ſimul pacis & belli. Belli in Luciferum: pacis in genus humanum: equidem in illa Chriſtus hominem inimicum reconciliavit, & ſerpentem dæmonem uſque in abyſſum profligando detruſit. Fuit ſtatera amoris, in qua pondus & pondus, menſura & menſura; ut qui hominem diligeret, inimicum hominis à tyrannide repelleret, ſuffocans virulentum ſerpentem, dum hominem ſervum eduxit in libertatem.

11 Sub tyranno Pharaone gemebat populus, quem (Deo, Moyſeque ducibus) fugiebat oppreſſus, tendens in terram promiſsionis, tamquàm in metam optatæ felicitatis. Fuga pupugit tyrannum è poteſtate arrogantem, deſiderans tot diebus mancipatam proiectamque ſervitutem. Typus ſanè diaboli, devicto utroque protoparente; immiſſa in prolem originali ſervitutis noxà, & antequàm fuiſſet nata.

Avit. d. à v. 413.

Tunc victor ſerpens certamine lætus in ipſo,
Puniceã criſpans ſquammoſo vertice criſtã,
Acrior inſultat victis.

Ergo populus fugit uſque in mare; de quo lætus tyrannus quia non valebat tranſire, quin ſuffocaretur in undis, voto fruſtrato felicis expeditionis; cuius anguſtiæ truculentiæ blandiuntur, quippe lenimen ſi ſervi fugientes ſuffocarentur. Ob libertatem in Numen clamabat in corde Moyſes, ut ex tranſitu prodigioſo maris de inſolente inimico obtineret victoriam: eique dicit Dominus: *Quid clamas ad me?* Loquere filijs Iſraël ut proficiſcantur. *Tu autem eleva virgam.* Quorsùm virgæ elevatio, ut ex fuga ſervitutis conficeretur ad libertatem profectio? Dicit *lib.* 5. Avitus, v.677. Mare virgà

Exod 14 à 15.

Avit.

Percutit, inſigni credens myſteria ligno,
Quo monſtrabat iter Phario mors ultima
Regi,
Poſtquàm clauſa via eſt, fluctuſque rebellat
eunti.

Non erit victoria, quouſque elevetur virga: & ut poſsit populus in libertatem tranſire, oportet ſanè, lignum elevari; quippe non habet virtutem, quouſque perveniat in exaltationem. Tunc virgæ lignum tantum lignum: exaltatum includebat myſterium, cui Moyſes credidit, ac mare fide percuſsit; ut cum illo Pharaonis ſummergeretur exercitus, & ſalvus exiret è captivitate populus: etenim tunc myſterium virgæ elevatæ cognitum, ubi cum Chriſto lignum crucis exaltatum; in cuius virtute, Moyſes triumphavit de Pharaone; cui contigit, quòd in calvario virulento ſerpenti, ex certaminis trophæo, ſingulari erecto triumpho: quandoquidem inimicũ ſubvertit, ſummerſit ac ſuffocavit: ita ut tractus catenis, adamantinis vinculis pateretur, quàm pati fecerat ſervitutem; & populus qui captivus, per elevationem ligni omnimodam obtineret libertatem. Erat lignum & fulmen miſſum

Triũphus Crucis.

ſum de cœlo, in ſerpentem fulmen, lignum in ſauciorum ſanitatem. Erat teſſera pacis & belli, incognità oppugnatori ligni virtute: equidem pacem conciliavit ad homines, & fulmen torſit adverſus aëras debellandas poteſtates; ut iacerent in inferno, quæ quaſi victrices vagabantur in mundo.

——— Nec iam ſua iura Pharao,
Ægyptuſque tenet. Mox omnia dæmonis
arma
His merguntur aquis, quibus ille renaſcitur
infans,
Qui captivus erat, ſalſæ quoque fluctus abyſsi
Liquitur, & tetri ſuperantur ſtagna dra-
conis.

Arator. d. lib. 2. á v. 1145.

3. Reg. 17. 12. Auguſt.

12 Hæc *duo ligna* colligit vidua Sarepthana: nimirùm, *Crucis*, ait Auguſtin. de *tempor.* Serm. 101. Vid. *Tautolog.* 1. *D.* 2. *n.* 3. Duo ligna ex queis Crux conſtruitur: ideſt, cum duplici reſpectu efformata, & ad dæmonem, & ad hominem, utrumque inimicum; ſed per contrarium effectum: equidem elevatum eſt duplex in cruce lignum; ut hominem gratia Chriſtus reconciliaret, ac dæmonem ſeductorem intra tartara recluderet: & dum ſerpens poteſtatem ſubterfugiens, intra flammas concluditur; homo de primæva iniuria per Chriſtum vindicaretur.

Mors hauſit, & mors reddidit.

Prudent d. verſ. 1709

Kircher

Lignum Crucis ſymbolũ hominis.

Auguſt. in Pſ. 54. 10.

Apud Ægyptios (infit Kircher. Tom. 2. p. 2. *Oed. p. Ægypt.* claſſ. 7. cap. 4.) *Crux mundi Symbolum*: hoc eſt, hominis, qui microcoſmus. Crux pridem, ut lignum fatale deſerviebat ignominiæ, poſt fuit gloriæ, ex ſanguine Agni; quo ſterile floruit, ac fructus pretioſos inſperatò germinavit. *Attende gloriam crucis ipſius. Iam in fronte Regum crux illa fixa eſt. Effectus probavit virtutem: domuit orbem non ferro, ſed ligno. Lignum crucis contumelijs dignum viſum eſt inimicis.* Iam non dignum contumelijs, ut eſſet Symbolum hominis: etenim qui ignominiæ patuit lapſus, eſt venerationi, erectus. Attende gloriam crucis, qua domitus orbis, effectu eius aſtruente virtutem ad hominem & ſerpentem; in cruce invenientem diriſsimam lanceam, dum homo ad ignea diaboli iacula munitiſsimam tutelam.

Ioſue, 8. 18.

13 Umbra lucet in arrogantia Regis Hai, quem allucinatus eſt error, quippe ſemper ſe victorem iudicavit, quia ſemel victor. Certamen ergo iterùm iniendum in faſtus ſuperviſsimi exterminium, dum Ioſue caneret claſsicum. Unde ei Dominus dixit: *Leva clypeum, qui in manu tua eſt contra urbem Hai.* Alij. *Telum, lanceam, gladium, ſcutum, ac vexillum*, legunt; ut dixi, *Tom.* 7. *T.* 3. *D.* 8. *à n.* 8. *& T.* 10. *D.* 4. *à n.* 4. Suſpicatur hic Maluenda, *Ioſuam rhomphæam quaſi crucem quandam in altum ſuſtuliſſe; cuius ope hoſtes protererentur, inſigni Crucis Dominicæ myſterio, quæ hoſtes humani generis devicit, exaltata per verum Ieſum, Filium Dei.* Caietanus verò: *Non in ſignum militibus* (ait) *ſed in ſacramentum actio iſta facta eſt.* Utriuſque næ aptiſsima ſententia; verùm in trophæum, cur Ioſue dicitur: *Leva clypeum?* Non habebat in inimicos virtutem citra commendatam lanceæ aut ſcuti, ſeu vexilli elevationem? Nullo modo. Eſt neceſſaria elevatio: equidem ſi crux filij Dei illo in vexillo ſignatur; ſine virtute, quouſque crux elevaretur: virtutis demoſtratione, dum ille pro triumpho elevaretur in cruce. Expulſi, diaboli fraude ſeducti homines, ab æterna vita: pro reſtitutione pugna acriter committenda: erat vexillum & arma, clypeus, telum, gladius, lancea, & ſimul ſcuta, inſtrumenta prælij; ſed *oportet exaltari*; ut quem diabolus expulerat per noxam, haberet vitam æternam, effectu probante virtutem, per crucis exaltationem; obiectis & clypeo & gladio, ſcuto & telo: equidem Chriſtus in cruce exaltatus (ut inclytus & glorioſus eſſet triumphus) in ſerpentem inimicum vibravit telum, hominique iam amico dedit ſcutum. Elevavit ſignum in nationibus, amore in hominum percuſſum pectus; illaſque à tyrannide eripuit, quia crucis ſignum in vexillum elevavit: quo in truculentum hoſtem proiecerunt ſagittas, quouſque in eius ictus evacuarunt pharetras; & ne iterùm vulnerum paterentur incommodum; unde tela vibravit, dedit & clypeum. *Clypeum* dicit; & in pugna adverſus hoſtes aptior erat lancea; quippe in conflictum arma neceſſaria offenſiva & defenſiva. Utique. Certamen in inimicos indrauitur, clypeuſque tantùm ex vexillo exponitur; quia quo ſigno Chriſtus hoſtem exaltatione contrivit, hominem ſub eius ſigno ab inimicis protexit. Rutilat (ſuccinit Prudentius in *Phyſnomach.* v.415.)

Maluád

Caietan

Victoria humani generis ab exaltatione Crucis.

Ioan. 12. 34.

Crux eius ſcutum.

Prudent

Vexillũ ſublime crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat: defixà cuſpide ſiſtit.

14 Subit mentem fabula lepida, ut vera rutilet amoris divini flamma. Arborem Menelaus plantaverat in ſponſæ gratiam, ducens venuſtate ac charitibus decantatam Helenam; quæ quidem marceſcens inopinatò aruit, quàm ſponſa ſeducta cum Paride fugit; ex cuius raptu & excitata annis nonnullis

nullis ſanguinolenta pugna, & ſimul excidium ac incendium quo exarſit Troia. Poſt triumphum arbor refloruit, & Pauſanias, ſuo tempore permanſiſſe, dicit. *Fons eſt* (inquit, cap. 254.) *& prope fontem ingens & eximiâ ſpecie platanus, quam Menelaida nuncupant.* Nobis liceat, ſacris miſcere profana, ut ex umbris etiam floreſcat hiſtoria. Naturam humanam ſpecioſam, cunctis gratijs ornatam, ut condidit, Deus in ſponſam elegerat. Iam verò in medio paradiſi lignum ſcientiæ boni & mali ſponſus plantaverat. Serpens callidè acceſsit, & ſeductam ſponſam à Numine rapuit; ex quo amiſſa aliena in terra libertas, iugulata felicitas, ſed incendiumque orbis, prole confectâ venenis; quoniam quiqui pollutum habitabant mundum, non aliud niſi genimina viperarum: areſcente ligno boni atque mali ſcientiæ, facto dumtaxàt trunco, dum perſtitit pulchrum flore. Arbor reparanda erat in ſtatum priſtinum; maximè ſata iuxta fontem lacrymarum. Cœpit bellum, facta inimici clades, fracta vincula ſervitutis, hoſtis qui rapuerat iacuit, ſagittis confoſſus; ac ſponſæ ſanatum mirificè vulnus. In cruce arbor quæ aruerat refloruit, & fructificans iuxta fontem permanſit. Unde terra tot prodigijs, quod eſt mirabile in oculis noſtris? Ex crucis vexillo, ex quo hominis exaltatio, viſo ligno boni & mali, Domino pendente in cruce; cùm ſumpſiſſet ſibi malum, & nobis contuliſſet omne bonum, in eadem arbore infelici ac funeſta, à qua rapta fuit ſponſa: nuncque viget, nuncque floret, ut nobile ſignum; quippe ſervitute ſolutâ, natura humana captiva, iam redivit ad ſponſum, qui illam ſcuto à raptore defendit, dum inimicum è crucis ligno confodit. Egreſſus eſt diabolus ante pedes eius, dum fervebat utrinde conflictus. Stetit & menſus eſt terram, ſimulatque cognovit amiſiſſe victoriam; traxitque Chriſtus omnia ad ſe, dum exaltata fuit crux. *Omnia*, ſcilicèt hominem & dæmonem. Hominem, in reconciliationem ratam per collatam gratiam: dæmonem hoſtem, ut eius homo ſoſpes videret ruinam: igitur paſſus Tartaro mancipatus ſervitutem, ibi ubi homini ademerat libertatem.

Pauſan. *Arbor Menelai.* — Gen. 2. 9. — *Diabolus victus & mundus redemptus.* — Ioan. 12. 32.

Hier. Vidaſ.

Imbre trahens duros gemitus, rabidoſque dolores,
Profano proditur dolo.

15 Orbem Chriſtus pacificavit per ſanguinem crucis eius; & cùm homines eſſent inimici ſenſu & operibus malis, reconciliavit in corpore carnis eius per mortem. Convivificavit, *donans omnia delicta, delens, quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis* (quomodò, exponemus novâ luce, *Didaſc. 6. n. 6.*) *& ipſum tulit de medio, affigens illud cruci; & ſpolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in ſemetipſo.* Omnes cum mundi Principe, ac inferni poteſtate affixi ſunt cruci, in trophæum; ut in arbore floridâ ex ſterili, fauſtâ ex nigra ac infelici, pro Imperatoris cœleſtis victoriâ, inimicorum figerentur arma, ornato ex induſtria ſpolijs victorum ligno, ut præſens eſſet & triumphus & recordatio. *Arma exuviaſque viri quercus habebit*: ait Virgil. 10. *Æneid.* v. 423. Claudianuſque, 1. in *Rufin.* v. 338.

Coloſ. 2. à 13. — Virgil. — Claud.

——Si lætior adſit
Gloria, veſtitâ ſpolijs donabere quercu.

Hinc cauſa ſuper caput victoris in cruce poſita, ut cunctis conſtaret in homines amoris cauſa. *Erat titulus, in cuius planitie* (ait Alphonſ. Ciacconis, de *Cruce*, cap. 40.) *litteris Latinis, Græcis & Hebraicis, colore rubris, erat ſcriptum I. N. R. I.* Ut noteſceret victoria, trophæum ſcriptum rubrica, & totius inferni contracta infamia: etenim loco illorum qui captivi ploraverant ad nudum ſtipitem crucis; ſuffecti Principatus & hoſtiles poteſtates. Dum prædam capiunt, præda fiunt. Arcum illorum contrivit, arma confregit, igneque ſcuta combuſsit; ut qui iacebant inermes, fierent in ornatum monilia crucis; & ſuſciraretur humana deplorata conditio ſub arbore malo, in qua contractum vulnus, & hauſtum virus, quoniam fructus qui in arbore floridà produxerat amarorem, in arido ligno prorsùm mutavit radicem; ut qui tranſierant de bono ac felicitate in dæmonis ſervitutem, pervenirent de malo in gratiæ felicitatem. Venant. de *Partu Virgin.* v. 129.

Ciacc. — *Titulus Crucis Chriſti ſcriptus rubricâ.* — *Dæmon ſuffectus in hominum vincula.* — Venant.

Succus amarus enim vetiti de cortice ligni,
Stante Redemptori de cruce dulce ſapit.

16 Aſtruit Paulus. *Ut Deo vivam, Chriſto confixus ſum cruci. Vivo autem.* Mors præſignatur in ligno. Ita contigit Adamo. Sanè, ſed antequàm Chriſtus figeretur in cruce: & in cruce qua mors vitæ, à Paulo ambitur vitæ forma; quippequàm à cruce vita: etenim lignum cuius fructus pridem ingerebat mortem, Salvatore in ligno ſtantè mirè mutavit radicem; ita ut mortis pallor in cœleſtem tranſiret vitalitatem, & amaroris acerbitas in dulcedinem. Crucem, cui fixus, elegi, *ut vivam*: habet enim latentem vivificationis gratiam: etſi ſignet mortem, *vivo autem.* Haud manat acerbitate ac mœſtitudine: dulce lignum, dulces clavi: equidem ex quo in illa Chriſtus pro nobis pependit; crucis amaræ radix virulenta evanuit.

Galat. 2. à 19. — *A Cruce vita.*

Baptiſ. Pius.

Cuius in horribili ſtat cruce noſtra ſalus.

Radix ligni mutata in oppoſitum fructum, ubi ex illo evacuatio vulnerum, reſtitutio ſanitatum. Adi *Tautolog.* 1. à n. 31. Singularis ſententia Rabb. David Kimpi (cùm ut obſervat Alapid. in *Exod.* 4. v. 2. alludens ad virgam Moyſis; Iudæi ex ligno, quod ad manum habebant, fabricarunt crucem, pòſtque illam fugerent tamquàm ſerpentem) aſſerentis in lib. *Radicum*, cuius meminit Lorin. in *Sapient.* 16. 6. ſerpentem ex ære in ſalutem affectis, ac confectis veneno, fuiſſe erectum; ut per oppoſitam medicinam illuſtrius eſſet miraculum. *Periti medicinæ aiunt, quoniam ſiquis ictus à ſerpente aſpiciat æs, illicò moritur: & Deum voluiſſe ſanitatem afferre; ut tanto maius miraculum appareret*, ſicut uſus ligni amaritudine, ut dulceſcerent aquæ. Haud diſplicet cogitatio, pro crucis Chriſti mirabili effectu; quia *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto*, propter gratiam ſanitatis, *ita exaltari oportuit filium hominis.* Exaltatus in ligno ſerpens, in ſignum ligni alterius exaltationis. Exaltatus ſerpens æneus, ut ex aſpectu virulento æris fieret ſalus: & ita exaltatur in ligno filius hominis, ut vera ſalus umbræ reſponderet prodigijs: igitur per exaltati virtutem & gratiam; in ipſo ligno quo mors, homo fauſtè excitatus eſt ad vitam. Invenit enim theſaurum cœleſtis ſempiternæ beatitudinis, quod fuerat in perniciem ſeminarium & ferax calamitatis.

R. Kinh — Num. 21. 8. — Exod. 15. 25. — Ioann. 3. 14. — *A ligno unde malum, bonum.*

17 Olim commentum ab Ægyptijs mare, quem vocarunt Typhonem ut refert Plutarch. de *Iſid. & Oſirid.* ortum ex vulnere. *Typhonem è coſta vulnere adacto exiluiſſe comminiſcuntur*: ait Kircher. *Obeliſc. Pamph.* lib. 3. cap. 5. Cogitarunt nativitatem mirificam. Habet de vero fabula famam; ubi Salvator pro homine ſaucius pependit in cruce: igitur percuſſo latere, in gloriam ac felicitatem hominum, inexauſtum prodivit mare gratiarum. Hoc eſt ſignum Dei vivi, ut illo mortui vivificarentur in ſalutem ſignati. *Crucem exaltatam adumbrantes, tres pueri flammam extinxerunt ignis.* (ait Andr. Cretenſ. *Orat.* 2. de *Cruci*) *& Ionas immunis vixit periculi maris, in crucis formam ſublatis in cœlum manibus.* Eſt nobile ac præſens in pericula ſignum: quod quidem hominibus imminet, quouſque appareat in frontibus eorum. Deciderant hi prima tranſgreſsione è cœlo. Ab amore cogitatur reſtitutio, propter quam ſic iacentes Deus dilexit, *ut Filium ſuum unigenitum daret.* Quid ex huiuſmodi miſsionis in mundum gratia? Ut elevaretur, ex quo deciderat, iacens humana natura. Saxa vocantur homines cordis duritie, demonſtrantes ex crimine qua ſint origine nati. Quomodò elevandi tanto pondere? De Rameſſe, Ægyptum moderante, refert Kircher. *Tom. 3. Oedip. Copti*, Syntagm. 2. cap. 1. *Dignas tanta Rege cogitationes alto fovens pectore, animum adiecit ad erigendum obeliſcum; omnium, ſive myſticas rationes, ſive molis vaſtitatem ſpectes, & myſterioſiſſimum & maximum eorum, qui unquam in Ægypto conſtituti fuerunt: in cuius exciſſione, elaboratione & erectione viginti millia hominum laboraſſe feruntur: & quoniam verebatur, ne in erectione tanta moles ſummo pondere frangeretur; proprium filium ſuum in cacumine alligari curavit, ut architecti reverentia filij, eiuſque conſervandi amore ſtimulati, cautius circumſpectiuſque tanti momenti opus peragerent.* Totum ex Plin. *lib. 36. cap. 8.* qui addit: *Filium adalligavit cacumini, ut ſalus eius apud molientes prodeſſet lapidi.*

Kircher — *Ex iniuria à Chriſto gratia.* — Andr. Cretenſ. — Ioann. 3. 16. — *Coloſſus Ramiſſis* — Kircher — Plin.

18 Eluxit Dei philanthropia, dum cecidit ruens in paradiſo humana ſupplantata natura. Decrevit elevare; ut poſsit erigi, nec poſsit frangi (quod cupiebat dæmon ex pondere peccatorum) multa cogitavit, ſed homo ſtratus ad erectionem tanti coloſsi non potuit; licèt machinæ fletus admotæ, & funes gemituum ad elevationem eſſent iniecti: etenim *facilis deſcenſus Averni,*

Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus & labor eſt. Pauci, quos æquus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuere.

Virgil. 6 Æneid. à v. 126.

Virtus filiorum Adam ſuſpirijs corda evexit ad æthera; ſed corporis corruptibilis pondere aggravatur anima, & ad hoccine arduum utique opus, in virtutibus illorum non erat virtus: etenim ſi facilis deſcenſus in Avernum, difficile prorsùm revocare gradum. In elevationem neceſſarium erat, quod Iupiter æquus filius degeneres amore foveret: & *ſic dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Chryſoſtom. hic: *In mortem & crucem.* Quorsùm ergo? Ut fieret elevatio: inquit Alapid. in *Tit.* 3. 4. *Sua morte vivificaret, ſua humilitate exaltaret, ſua exinanitione, æternâ gloria, opibus & bonis immenſis cumularet.* Alligavit crucis ca-

Ioan. 3. 16. — Chriſoſt. — Alapid.

cacumini Deus filium ſuum unigenitum ut poſſet erigere & iacentem elevare coloſſum. Unde ille dixit: in cruce *oportet exaltari*. Oportet, quippe ni exaltaretur, coloſſus in ſempiternum iaceret. Filium adalligavit (dum factus homo) crucis cacumini, ut mors eius apud molientes prodeſſet lapidi; & inclitè claruit opus, dum filius ſic exaltatus: equidem quod cecidit in Adamo primo, erigitur in ſecundo. Ipſe prædixit, dùm cum crucifixuris diſputaret. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Hinc hominis iacentis ſublimitas, & exaltantis maieſtas: igitur exaltatus in cruce, omnia ad ſe (unde venerat) traxiſſet; hominem ſimul in optatam erectionem elevavit.

Ioan. 12 34. — *Homo cū Chriſto exaltatus in Cruci.* — Verſ. 32

19 Fulget iam exaltatus in cruce & etiam fulget amore. Gloria ex ignominia? Næ, ut ex eius ignominia homo potiretur gloriâ; & ille ex morte in cruce ſimul erigeret ſingulare trophæum, propter quod & Deus exaltavit illum: etiam inimici ſpectabunt, in quem furentes, fanatici transfixerunt. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate*. Unde tanta maieſtatis auctoritas, & poteſtas? *Tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo*. Quis à quo participavit honorem? Videtur Chriſtus per crucem; ſiquidem oſtenditur illa, dum ille apparet in gloria, per quam in Redemptionem (difficile, atque mirabile opus) tantum honorem adeptus: cruxque fulget, ubi Chriſtus in maieſtate poteſtatis ſplendet; quaſi ſine ligno crucis, non eſſet gloria pleniſsimæ maieſtatis. Gloria eius ex cruce occurrir, dum ad iudicandum venit. Quid igitur iudicandum? Opera hominum: & teſte cruce? Teſte, ſimulque cenſore. Per illam homines non elevaverat? Non uſque in æthera ſecum evexerat? Utique, ſed coram illa damnandi; quippequàm iam elevati, elegerunt iacere. Caveamus Monachi, & ſemper eius obſequamur voluntati: *Ut non ſolùm ut iratus pater* (nobis commendat Magiſter & Legifer N. in Prolog. *Regulæ Sanct.*) *ſuos non aliquando filios exhereret; ſed nec ut metuendus Dominus irritatus malis noſtris, ut nequiſsimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerunt ad gloriam*. Se præbuit ad aſtra ducem, ne videat ſegnem.

Luc. 21 27. — Matth 24. 30. — *Chriſti plenitudo gloriæ ex cruce.* — S. Benedict.

Ne qui te hæredē Aſtripotens ex aſſe reliquit,
Per eſcelus hinc doleat te cecidiſſe tuum.

Bugnot hic.

20 Duas guttas ſanguinis, oppoſitæ conditionis, ex amputata cervice Meduſæ, ſignat Euripides in *Ione*, noſque dicemus in *Ephemer.* 10. *Auguſt. n.* 1. quas collegit Pallax hellatrix, in cuius trophæo erat figura Crucis, uti obſervat Tertull. *Apolog.* cap. 16. Pamel. hic, à n. 238. & Pier. Valerian. lib. 42. à cap. 88. & clariùs *lib.* 50. *cap.* 12.

Sanguis Meduſæ cuiuſnā conditionis?

Dat Pallas geminas guttas à Gorgone manantes.
Hanc quidem mortiferam,
Aliam verò curatricem morborum.
Arcet morbos & habet alimenta vitæ:
Altera verò interficit, venenum exiſtens.

Euripid

Succinit Euripid. à v. 1003. Emblema obijcitur nobile, effectu oppoſito ſanguinis Chriſti, effuſo pro ſalute hominis, oblatoque ſimul in ara Crucis; cum venerit ad iudicandum cum poteſtatem magna, ut tribuat unicuique ſecundum opera ſua: equidem qui in iuſtis alimenta extitit vitæ, pravis erit in flammas loco veneni. Hinc crux adeſt, cuius aſpectus & illos iuvat, & illis officit; quoniam ſcelerum oppleti vulnerum, guttam noluerunt curatricem morborum. Obſervavit Bapt. Pius, *Annot. poſter.* 145. guttam ſanguinis Meduſæ è ſiniſtro latere, uti virus interficere: dextri verò, ex morte vivificare. Ex ſitu iudicandorum patet ſalus & vulnus, dum nequam à ſiniſtris, probique collocantur à dextris: iudexque in cruce oſtendit diſcrimen, hinc & hinc habens latronem, unum ſalvans, aliumque condemnans, decernens præmia & ſupplicia; quippe eius ſacratiſsimus ſanguis mors eſt malis, vita bonis, his euntibus per crucem in gloriam, illiſque proiectis in flammam ignis æternam.

Quare ſignū Crucis apparebit in iudicio? — *Chriſti ſanguis mors eſt malis, vita bonis.*

E celo vibrantia fulmina figet,
Seu permiſta chaos rerū primordia quondàm
Diſcernet partu, mundumque enixa nitentē,
Fuglet in infernas caligo pulſa tenebras.

Manil. 1. cap. 2 á v 8.

21 Crux ergo figitur in iudicio quaſi palma, in quam Chriſtus cùm eſſet in mundo aſcendit, & apprehendit fructus eius, quibus in gratiam hominum cum labore potitus; ut qui felices in ſacram arborem dirigât cogitationes. *Lotus capillata* (inquit Pier. Valerian, lib. 52. cap. 36.) *felix arbor cognominata, quòd Deo tam familiaris habeatur, ut ſedes eius ſtatuatur*. Liquet iam in cruce, quæ amiſſa felicitatis nota; dum in illa Ieſu ſedes cum poteſtate & maieſtate magna; quæ nobis communicabilis, dum illi noſtre in capillis dicentur cogitationes. Ideo dicitur: *Ab æterno ordinata ſum*. Salazar, n. 291. *Vexillum fixum fui*. Militamus. Haud aliud reſpiciamus vexillum: igitur nobis erit felicitas, à qua Duci Principi derivata maieſtas. Diem libertatis ex Ægy-

Lotus capillata. — Pier. Valer. — Prov. 8. 23.

Ægypto, quaſi ſignum haberi præcipitur ob recordationem; *eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus*. Maluend. hìc ex Hebr. *Totaphot: ideſt*, ornamenta frontis. Secùs Reuchlinus, ibid. *Habebant Hebræi* (ait) *nodum, qui formam crucis figurabat, quiă omnia in cruce conſummantur*. Si cuncta gaudia complentur in cruce, cuius ſignum figimus fronti; reſpiciamus intendentes in felix prorsùm vexillum, ut habeamus hìc & in cœlo gaudium plenum. Nobis enim crux fixa, & ab æterno noſtris morbis ut medicina ordinata.

Exod 13 16. — Maluē l — Reuchl. — *Ut quid ſignamur in fronte?*

Cum excelſo viguit prima ab origine mundi.

Marian. hic.

DIDASCALIA V.

Iniuſtus rerum æſtimator pectoris dolor.

1 ITA Seneca in *Troad.* v. 544. Si inops aliquando vocis, quidni mentis? Ubi urget & pungit internè cordolij ſpiculi pœna; non eſt niſi doloris amara memoria: perperamque dijudicare poterit, qui ſeſe in ipſa cognitione neſcit.

Senec.

Vulneris infelicitas habet inopiam conſilij.

Euripid

Accinit Euripides in *Ione*, v. 971. Hinc & hinc, ultrò citròque mens vagabunda cogitat; ſed nonnumquàm delira, cæſpitans errat; quoniam in conſilij inquiſitione non inquirit conſilium; ſed in ultionem doloris mordentis exitum. Intra viſcera pus vomicæ vellicantis ira fovet, & quouſque virus evomat, minimè quieſcet: quærenſque tanti cordolij puerile levamen, pro vindictæ anxietate ruit in furorem.

Doloris gravamē corripit mentem.

——Iam nulli flebile damnum,
Sed curſus ſolemnis erat, campuſque furori
Expoſitus, ſenſumque malis detraxerat
uſus.

Claud. 2 in Ruſin. v. 46.

Furor profectò eſt. Unde Seneca, 2. de *Ira*, cap. 14. infit: *Ira perturbat artem, & quà noceat tantùm, non quà caveat, aſpicit. Sæpe itaque ratio patientiam ſuadet, ira vindictam: & qui primis defungi malis potuimus, in maiora devolvimur*. An quia non cognita mala? Ardet in ultionem ira, vel dum cognita: ſiquidem ſtudent phrenetici (ſæpe ſine cauſa) meditatæ ultioni; quamvis cognoſcant ex diſcrimine perire.

Seneca. — *Cæcitas iræ.*

2 Citra ius, cùm filij Iſraël ex ſe libertate gauderent, & de Ægypto egregiè meriti fuiſſent; eò quòd ſubditi, & acolæ, ſine ullius offenſionis interventione, Pharao cum ſuis non ſolùm eorum tyranni iugulaverant ingenitam libertatem; ſed in miſeram, flebilem redegerant ſervitutem. Multa lævæ ſortis calamitas, *Vocis ſub tyrannide libertas*: ait in *Arato*, Plutarch. Claudianuſque quò dudum, à v. 85.

Vel flere vetat. — Plutarc.

Mœrent captivæ pellito iudice leges.
Quis populi tunc vultus erat? Quæ murmura
furtim?
Nam miſeris nec flere quidem, aut lenire
dolores,
Colloquijs impunè licèt. Quò nam uſque
feretur
Exitiale iugum? Duræ quis terminus unquā
Sortis erit? Quis nos funeſto turbine rerum,
Aut tantis ſolvet lachrymis?

Claud.

Ubi ita inſolentia poteſtatum, dumtaxàt cœlum conferre poteſt auxilium, ac præbere calamitatibus exitum. Qualis ergo in tanta tribulatione? Fugere. Cognovit Pharao afflictorum cogitationes, & furiosè perſecutus eſt fugientes. Unde fomes iræ? Ex fugæ meditatione: igitur ſecum ſemper habere ſubditos voluit, ut ſemper ſine ſuſpenſione vexaret, queſtus nonumquàm de illis; qui præ angore, de illius tyrannide debebant queri.

Aſtus tyranni inſolentis.

3 Inolita prurigo poteſtatis. Unde Abrahæ prædeceſſor Pharao dixit: *Quidnam eſt hoc, quod feciſti mihi?* Idem ibid. *cap.* 20. 9. Rara effrons inſolentia! Abraham iniuriâ afficitur, & tyrannus de offenſo quaſi malè affectus queritur? Ars eſt, ne iniuriarum detur fides, queri de factis. Queritur, ne læſus queratur: igitur ne malè audiat per illatam iniuriam; ſolemne eſt, prævenire querimoniam. Queritur, ne ſubditus valeat queri; vel quia queritur ſubditus: eſt enim iniuria inſolentis auctoritatis, ni riſu grates ſolvantur pro iniurijs: licitum potentibus, ad libitum quaſi ludentibus facere; verum ſubditis, nec hiſcere. *Caſtigaverunt vitia ſua* (inquit Plin. Traiano, in *Panegyric.*) *ipſi qui caſtigari merebantur: ijdemque emendatores, qui emendandi fuerunt*. Miſera ſors. Opprobrijs, præut placuerit ſaturandi, ſed *os* ponendum *in pulvere*; quo ſi aliquandò reſpiratur, ipſa reſpiratione ſuffocetur. *Non poſſumus aperire os*: dicitur in Daniele, ſub tyrannide Nabuchi. Tollitur auxilium, quod prævenit natura in levamen angorum: nequeuntque aperire os, vel dum in reſpirationem impellitur anxia mens; quippe ſi in ſuſpiria oſcitanter aperiunt, pulvere excitato ſtatim ſuffocabuntur. Hinc à Propheta dicuntur *Iudices lupi*. Lupi? *De Lupo narratur* (ait Chartar. de *Imagin. Deor.* pag. 250.) *eum, quem prior ipſe viderit, mutum reddere* at

Gen. 12 18. — *Queritur nō de iniuria ſed de offenſi querimonia.* — Plin. — Threo. 3. 29. — Daniel. 3. 33. — Sopho 3. 3. — Chartar.